



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 26. De obligatione ad restitutionem acquisite per vsuram,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

Cum autem hæc ita sint: quæstio proposita locum habet tantum, quando luditur contra legem quæ ludam alicquem prohibet, non quidem tollendo translationem domini pecunie per illum quæsitæ: sed concedendo illius repetitionem. Atque eam Contr. ad regul. Peccatum 2. par. §. 4. num. 8. difficilem esse præfatus, propositis auctoribus, & rationibus in utramque partem & negantem sequitur cum Adriano: à quibus non dissentit Nauar. in cit. num. 17. nec tamen contrariam Alphonsi à Castro in lib. 2. de lege penali cap. 2. cond. 3. improbat: tanquam insinuans liberum esse utramvis sequi in praxi: hoc, siue promissum soluere, siue non soluere. Quod posterior habet quidem in se plus periculi: nititur tamen ratione ad probabilitatem moralem sufficienti. Qualis est, quod etsi is qui rem aliquam ludo acquisiuit post illius traditionem, libero perditis consensu factam ratione conventionionis, dominium eiusdem habeat, donec eo priuatur per condemnationem Iudicis: nihilominus ante traditionem, nullum ad ipsam rem ius habet: quandoquidem per legem ipso facto priuatur iure petendi eam hoc nomine, quod si ea detur danti concedatur, ius repetendi datam. Et enim qui potest iam solutam pecuniam repetere, potest sanè pati iure, nondum solutam retinere; ut patet ex promisso quod factum fuerit usurario.

Quæ tamen ratio tantum conuincit, quod sicut licitum est solutam repetere, sic etiam nondum solutam negare Iudicis condemnatione interveniente: non autem, illud quod perditum est ludendo creditum, posse pro arbitrio negari: quasi nulla sit in conscientia obligatio ipsam soluendi. Nam talis ludus, perinde ac is quo luditur præsentem pecuniam, est contractus de se aptus ad dominium acquirendum; neque ludens ad id ineptus redditur per legem: quæ solum pœnam lucranti constituit, ut quod acquisierit, possit in iudicio compelli restituere. Sicut igitur cum lusum est præsentem pecuniam non licet priuata auctoritate rem perditam, aut æquiualem in compensationem surripere lucranti (vt bene notatum est à Soto lib. 4. de iust. & iure quæst. 5. art. 2. sub finem) ita nec licet propria auctoritate negare solutionem ei, qui ludendo creditum, lucratus est: sicque Alphonsi sententia locum habet: quam Nauar. merito non est ausus improbare, quia non satis apparet quid possit ad propositam rationem respondere.

Restat autem monendum, ludentem habendo animum non soluendi, aut solutum repetendi, non posse lucrari: quia si colludens id sciret ludere nollet: ita ut decipiatur per fraudem, quæ à talem animum, gerens exponit se ludo ostendendo paratum se esse: dominium suæ rei in colludentem transferre, si ab eo vincatur. Quod si animo sincero luserit quis, nihil cogitans de non soluendo, aut de non repetendo amissio; immo animum habens soluendi nec repetendi, potest peracto ludo mutare eum animum, ac nolle soluere lusum creditum, vel iam solutum repetere, si lusum sit præsentem pecuniam, ludo per legem prohibito.

## QVÆSTIO IV.

An ille qui non habet quod in ludo perdat possit in eo lucrari.

**H**ic satisfacimus aliquot propositionibus. Prima est. Eum qui non habens præsentem pecuniam ludit creditum, de consensu eius qui numeratam pecuniam cum ipso ludit, lucrari posse si animum vere habeat soluendi, habita commo ditare. Ratio est: quia colludens censetur iure suo exigendi parem conditionem, cedere hoc ipso, quod sciens & volens ludat præsentem pecuniam, cum eo, qui vult creditum tantum ludere.

Secunda propositio. Eum qui nihil omnino potest in ludo perdere, nihil etiam posse lucrari. Ratio est: quia conditio ludi debet æqualis esse in utroque ludente. At non est, si aliter solummodo possit perdere: æquitas enim conditionis ludi exigit, ut sicut vnus colludentium libere vult & potest perdere, aut lucrari: ita & alter debeat velle, & posse.

Tertia propositio. Ludentem cum eo qui non potest alienare id quod exponit ludo, teneri si lucratur illud verò domino restituere, cum primum sciat alienum esse. Hæc patet à similitudine eo qui emit equam furtiuum. Nam in illo casu sicut

in hoc dominium acquisitum non est ob defectum potestatis illud transferendi in alium.

Vbi pro praxi nota ex Nauar. in eod. cap. 19. num. 12. de studiosis qui sunt filij familias aut monachi, cum illi à parente, & hi à Prælo sustentantur in Academia, posse particulam aliquam summæ destinatæ ipsorum sustentationi, infumere in ludo honesto, honestæ recreationis gratiâ. Ratio esse potest, quod ad alimenta pertinet quoque recreatio honesta, & ætati, statuique conueniens, ac passim concessa æqualibus. Quod si libros aut vestes ludant, non est locus excusationi à restitutione: quia talia nec dantur; nec præsumi possunt data esse ad eiusmodi usum.

Aduerte autem, memoratum ludentem si perdidit, posse ludendo cum eodem tantumdem lucrari: non solum per ludos continuos & similes: sed etiam tempore, & specie diuersos: dummodo lucrum apud colludentem inhabile adhuc maneat. Ratio est, quia lex ludi habet, ut totum lucrum hinc inde acquisitum ludo destinetur: nec enim censetur colludentes sic voluisse alienare sua ludendo, quin postea possint facere compensationem: vitatis tamen circumstantijs ex quibus antea diximus ludum illicitum iniustumque reddi. Neque in tali casu contingere, ut res aliena exponatur ludo: pater, quia tali ludo illicitè acquisitum, filius sibi non patri acquirit ut ex Bartholo habet Syluester in verbo peculium 1. quæst. 14. Et probatur: quia si filius in eiusmodi ludis perderet, pater non teneretur soluere; & qui non sentit onus non debet sentire commodum, ex regula 55. iuris in 6. Adde filium quoad illicitè acquirendi modos, non esse subditum patri, ne quidem iubenti.

Vltima propositio sit, quam habet Leonardus Lessius lib. 2. De iust. & iure in fine cap. 26. Eum qui potest tantum deponere quatuor in ludum, non posse singulis commissionibus ab vno eodemque lucrari plusquam quatuor. Ratio est, quia debet esse par conditio ludentium, nisi alter sciens conditionem socij, iure suo cedat: ut censeri potest diues ludens cum paupere. Verum tamen si plures sint contra quos ludit, tres quorum singuli deponant quatuor, poterit plus lucrari, ut duodecim: poterit item ab vno eodemque diuersis commissionibus plus lucrari quam poterat perdere, ut cum potuerit tantum perdere quatuor lucrifacere centum. Sufficit enim ad singulorum ludorum lucra ut alienare possit illud quod in vnoquoque eorum deponit.

Atque hæc hæctenus de ludo, de quo si quis plenior tractationem requirat, eam post Nauar. in memorato cap. 19. suppeditabit Ludouicus Molina de iust. & iure tractatu 2. à disput. 510. ad 522. Contenti erimus pro quotidiana praxi addidisse ex Gabriele in 45. distinct. 15. quæst. 13. art. 3. dub. 3. cooperantes ad ludum mortaliter illicitum: siue concedendo domos, locaue ad ludendum; siue præbendo lumina & instrumenta ad ludendum, ut taxillos, chartas, aut alia eiusmodi, peccare quidem mortaliter, tanquam consentientes peccantibus; non teneri tamen ad restitutionem, nisi perditioni causam dederint dolo, aut alia ratione iniusta. Ratio est, quod alias indifferenter se habeant ad utrumque colludentem, sponte sua exponentem se periculo perendi. Vnde non censetur perenti facere iniuriam, quam restitutione resarcire teneantur.

## CAPVT XXVI.

De obligatione ad restitutionem acquisitorum per usuram.

## SVMMARIVM.

390 Interpretatio nominis usura.

391 Definitio usura.

392 Diuisio usura, & quid sit usura interior, quid exterior, quid mentalis.

393 Quid sit usura realis; & diuisio illius in manifestam & palliatam.

394 Modi quibus usura palliari solet.

395 Obligationem esse restituendi usurariæ acceptæ, ex multis canonibus habetur.

396 Ea loci habet, quantumvis soluens iurauerit se non repositurum: extenditurque ad hæredes usurarij, & ad fructus, quos res usurariæ

- accepta protulerit.
- 397 Notanda de obligatione heredum vsurarij, restituendi vsuras quas irreceperit, nec restituerit in vita.
- 398 Quando contingat vsura mentalis.
- 399 Que intentio ac spes lucri constituat vsuram mentalem, opiniones varie.
- 400 Resolutio difficultatis.
- 401 Corollaria inde deducta.
- 402 Quatuor modi, quibus contingere potest, vt mutuator aliquid supra sortem accipiat a mutuario.
- 403 De quarto eorum (tunc contingente, cum mutuator pretendit lucrum ex mutuo, & mutuatorius ei libere donat) difficultas est, an habeat annexam obligationem ad restitutionem: cuius pars negans teneri potest.
- 404 Argumenta pro parte contraria, cum suis solutionibus.
- 405 Generalis regula de obligatione ad restitutionem in causa a cooperatores vsurariorum in exercenda vsura.
- 406 De obligatione illius ad restitutionem; qui consulit aut iubet, aut suadet mutuo dari ad vsuram, vel impedit ne detur gratis.
- 407 Quando pecuniam suam deponens apud Curarium, teneatur ad restitutionem vsurarij acqvisitorum ab eo.
- 408 Domini temporales, Iudices, & Aduocati, quando tanquam cooperatores teneantur ad restitutionem vsurarij.
- 409 Quando Tabelliones & Notarij conscienter contractus vsurarios.
- 410 Quando a restitutione, non item a peccato, excusentur Notarij conscienter vsurarij instrumentum: & quando testes in eo testificantes, aut Superiores ei subscribentes.
- 411 Quando teneantur negotiorum gestores, tutores, & curatores.
- 412 Quando teneantur famuli vsurariorum.
- 413 Quando proxenera.
- 414 Documenta quedam de cooperatores vsurariorum.
- 415 Vsurarius non acquirit dominium rei accepta per vsuram.
- 416 Vsurarius non acquirit fructus quos profert res per vsuram accepta.
- 417 Acquisita ex re vsuraria non fructifera, non sunt restitutioni obnoxia.
- 418 Vsurarius vendens rem acceptam per vsuram, non transfert illius dominium, & quatenus talis contractus validus sit.
- 419 An bona omnia vsurarij sint hypothecata pro solutione vsurarij, diuersa sententia.
- 420 Tenenda negans hypothecata esse, eiusdemque probatio, & corollarium ex ea sequens.
- 421 Explicatio difficultatis, An vsurarius possit valide sua distrabere: ac primo quod non possit rem vsurarij acceptam.
- 422 Quod vero possit non vsurarij acceptam.
- 423 Quid sit tenendum, cum id sit in fraudem creditorum.
- 424 Qui aliquid ab vsurario accepit, vnde is factus est impotens ad solvendum, quando teneatur restituere acceptum; si a creditoribus intra annum non repetatur.
- 425 Quando acceptum ab vsurario in pretium, aut in stipendium restituere debeat ille qui accepit.
- 426 Quando vxor aut filij.
- 427 Quando gener acceptum in dotem vxoris.
- 428 Quando creditor qui ipsi vsurario mutuum dedit.

**Q**uatuor sectionibus caput istud distinguitur: quarum 1. est de nomine, definitione, & diuisione vsuræ: 2. de proposita obligatione: 3. de illis ad quos tanquam vsurarij cooperatores in exercenda vsura, extenditur eadem obligatio: 4. de accipientibus aliquid ab habentibus acquisita per vsuram.

De nomine, definitione, & diuisione vsuræ.

SECTIO I.

390. **E**xplicatio obligationis de qua dicere instituimus exigit horum notitiam: quæ alterius quidem loci est propria, sed huic ita necessaria, vt omitti nequeat commode.

Sicut igitur cultura à cultu, ita vsura ab vsu dicitur: significans id quod ex vsu rei tanquam fructus eius accrescit. In qua significatione à Cicerone in libro De senectute dicitur, quod terra nunquam sine vsura reddit quod accepit. Indeque à

Theologis, Iuriconsultis, & Philosophis translatum est vsuræ nomen ad significandum illud quod ex vsu pecunie, aut alterius rei, quæ vsu ipso consumitur (vt vinum, oleum, triticum &c.) alicui accrescit. Id quod contingit tantum in contractu mutationis, dum propter rem vsu consumptibilem mutuo datam, pretium aliquod accipitur. Vnde ad cognoscendum vtrum contractus aliquis sit necne vsurarius: perpendendum est, an in eo inueniatur ratio aliqua mutui: pro quo pretium, seu pecunia aut aliquid pecuniæ æstimabile detur: vt si vendam alicui triticum 10. aureis, & vt expectem illorum solutionem, velim duos aureos addi, talis venditio vsuraria censenda est: perinde ac si decem aureos tibi darem mutuo, pro quibus post certum tempus restitus duodecim. Idem iudicandum est si eadem de causa, tibi imponam obligationem, apud nullum alium emendi, quam apud me. Nam omnis obligatio tollens libertatem, perinde atque alia quæuis nata ex conuentione, iuxta legem Sicut Cod. De obligationibus. & actionibus, æstimabilis est pretio tanquam onerosa.

Cæterum in verbo vsura à Caietan. paucis definitur vsura; iniquitate esse lucrum ex mutuo. Quæ definitio est vsuræ latè sumptæ; pro omni eo scilicet, quod ex mutuo, mutuant accrescit ultra sortem: siue ex ipsa mutui vi: siue aliunde, vt ex lucro cessante, vel damno emergente, vel ex alia simili causa: sicque sumpta vsura diuiditur à Iuriconsultis, in lucratiuam in qua lucrum solummodo ex mutuo: & in punitiuam, in qua pactum est de pena aliqua soluenda, si mutuatorius fuerit in mora debitum reddendi tempore statuto; ac in restitutiua, in qua est pactum soluendi aliquid ex mutuo ratione damni emergentis, vel lucri cessantis: vel periculi aut laboris, aut expensarum que probabiliter creduntur future: in recuperando mutuo. Angustius verò in præsentiarum sumitur vsura: vnde vt allata definitio fiat huius loci propria, addi ei debet particula, vt mutui, per quam à ratione vsuræ de qua hic agitur, exclusum censetur, si ex vi gratitudinis, vel amicitie vel alicuius alterius contractus quam mutui, aliquid lucrum capiatur: aut si mutuum sit quidem conditio sine qua non habetur lucrum: non sit tamen causa cuius vi lucrum capiatur: sicut est cum ipsum accipitur in pretium mutationis faciendæ gratis, iuxta illud Domini Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes.

Porro sicut furtum apud auctores aliquando accipitur pro re aliena surrepta; aliquando verò pro actione qua res aliena surripitur: sic vsura aliquando accipitur pro lucro vi mutui facti, quod dicitur lucrum vsurarium ac turpe: & aliquando pro actione quæ ex mutuo lucrum acquiritur, & dicitur peccatum vsuræ: habens pro obiecto proprio prædictum lucrum. Atque priore modo sumitur, tam in proposita definitione, tum in cap. Plerique 14. quæstio. 3. cum dicitur, Quodcumque accipit forti esse vsuram. Posteriore verò modo in cap. Vsura, eadem quæstio. 3. cum dicitur vsura est vbi amplius requiritur quam datur: definiturque potest dictis congruenter, mutuatio ob quam pretium aliquod supra id quod datum est, petitur vel accipitur. Ad discernendum autem priore an posteriore modo vsura sumatur, considerari debet, subiecta sermonis materia: cum enim dicimus restituendum esse vsuram, patet sumi priore modo: cum vero dicimus vsuram esse peccatum, sumi posteriore modo, & sic de similibus.

Duplex verò est vsura: vna interior, quæ committitur sola voluntate interiori, vt cum mutuator proponit, speratque ratione mutuatæ rei, aliquid amplius accipere quam dedit, nec accipit: altera exterior, quæ prædictæ voluntati adiungit opus externum, id est, actionem accipiendi. Atque de priore illud tantum occurrit monendum, eam quidem peccatum esse mortale, vt suo loco docebitur, sed non inducere obligationem ad restitutionem, cum in nullo lædat proximum. Posterior autem distinguitur rursus in mentalem, & realem. Mentalis est quæ qua mens fiat, non tantum mente; sed etiam opere externo mentem ipsam ostendens: nullo modo tamen interuenit pactum vsurarium; seu quod mutuator cum mutuario in eam siue ex preesse siue tacite. Dedit verò in eadem, sicut & in reali vsura, esse verum lucrum proueniens ex mutuo. Ad quod (vt notat Caietanus in verbo, Vsura, sub initium) requiruntur & sufficiunt duæ conditiones: prior est, vt ipsum sit aliquid pecuniæ æstimabile, ita vt possit

rationem pretij habere: posterior est, ut ipsum non sit quid iam pertinens ad accipientem: adeo vt contingat hunc fieri ditionem, per illius acceptionem. Quartum conditionum consideranda multas difficultates in hac materia solui posse admonet idem author, quae explicabuntur in seq. libr. 2. 3. cum de vsura dicitur, vt de peccato transgressionis septimi praecepti Decalogi.

395. Realis vsura est, quando quis mutuo dat cum pacto expresso vel tacito accipiendi lucrum ex mutuo. Quae adhuc est duplex: vna vocatur cum formalis, tum manifesta; altera dicitur tum virtualis, tum palliata. Manifesta vsura est, quando pactum vsurarium significatur aperte, seu manifestis signis exercetur de lucro soluendo. Vbi nota generalem regulam esse: quod quotiescumque accipiens mutuo pecuniã, aliquid aestimabile pecuniã praeter sortem soluit ex pacto, mutuum ipsum esse vsuram expressam: adeo vt id omne, quid quid tandem sit, quod pecuniã aestimatur, possit vsuram esse. Et ita cum quis mutuo pecuniã rustico dat, cum pacto, quod laborabit in agro suo, committit vsuram: etiam si soluat ei iustam mercedem: quoniam ista obligatio est pecuniã aestimabilis, cum libertatem tollat, onerosaque sit. Similiter vsura est, cum mercator mutuat alicui pecuniã, ea conditione vt merces iusto etiam pretio, emat ab ipso, non ab alio: quia talis quoque obligatio aestimabilis est pecuniã. Verum tamen cum obligatio vel onus sic adiectum, non est magni momenti, quamuis vsura sit; non est tamen peccatum mortale, ob materiam leuitatem.

Palliata vsura est illa, in qua pactum aut saltem mutuum non explicatur aperte, sed velatur specie alterius contractus, quo ipsum continetur virtute. Id quod solet in particulari declarari, cum sigillatim de vnoquoque contractu agitur. Quando autem non explicetur pactum, ideoque ipsum sit tacitum, nullo negotio deprehenditur, ex contractu quo velatur, praeteritum si sit scripto mandatus. Quando vero mutuum tacitum continetur, difficile est cognoscere: quae difficultas tollitur explicatione dubiorum quae de mutuo ipso mouentur, tradenda in lib. 25. cum de eodem mutuo agitur ex instituto.

394. Hic sufficit monere vsuram palliari seu occultari solere ex parte mutui quatuor modis, qui colliguntur ex c. Confusio, De vsuris.

Primus est, quo occultatur mutuum per solam venditionem: vt cum quis maiore pretio merces suas propterea vendit, quod illud non statim sed post longum tempus soluat. Secundus est, quo mutuum occultatur, per solam emptionem, vt cum quis emit merces villiori pretio, quia soluit ante tempus seu antequam merces ipsas accipiat. Tertius est, quo mutuum occultatur per solutionem; vt cum quis deberet soluere in fine anni 100. aureos soluit tantum 80. quia soluit per quatuor aut quinque menses ante finem anni: haec enim omnia sunt ratione dilata: vel anticipata solutionis, & sic includunt mutuum & lucrum ex mutuo, atque adeo vsuram. Quartus modus est, quo tam mutuum quam vsura occultatur emptione simul & venditione, vt quando quis cogitur emere merces aliquas 3. aureis, & statim reuendere 20. vel 25. aureis. Sed obseruandum est, quod in sinuatur Caiet. in verbo vsura, c. 3. in fine, non esse vsuram in hoc casu, nisi cum emptor ea conditione emit, vt venditori statim reuendat minore pretio: tunc enim perinde est ac si illud quod ex pretio minuitur, acciperetur pro mutuo. Quod si contingeret vt mercator sincerè venderet, alterque reuenderet ei minore pretio: non esset vsura: vt nec esset si idem liberè reuenderet tertio, vilius quam emerit.

De ipsa obligatione restituendi acquisita per vsuram.

SECTIO II.

395. Obligationem esse restituendi vsurariè accepta patet: quia talis acceptio est iniusta: vt pote quã absque iusto titulo; immo contra omne ius, tam diuinum quam humanũ, res aliena vsurpatur. Ex iniusta acceptione autem, personam manere coram Deo obligatam ad restitutionem accepti, ita notum est, vt pro certissima regula habeatur. Non remittit peccatum nisi restituatur ablatum. Idem quoque aperte statuunt Canones in tit. De vsuris Extra: non tantum quoad Clericos in cap. 1. sed etiam quoad laicos in c. 2. etiam si non sint

Christiani, vt Iudaei, in c. Post miserabilem & in cap. Quanto. Immo in c. Cum tu eodem tit. vsurarij possessiones iubentur vendi, vt creditoribus satisfiat: & in Clement. Ex graui De vsuris; excommunicentur ij qui statuta facere, scribere, vel dictare audent, continentia quod soluantur vsuræ, vel solutæ cum repetuntur, non restituantur.

Sic autem extenditur hæc obligatio, vt locum habeat in casu, quo is qui vsuras soluit, iurasset se non repetiturum eas; vt ex Panor. mit. adfert Lælius Zecchi in suo tractatu De vsuris cap. 4. num. 3. Et ratio est: quia tunc quidem creditor debitum petere non potest, sed tamen alter tenetur restituere acceptum, tanquam alienum: vt argumento est quod is qui iurauit se vsuras soluturum, ita teneatur ad eorum solutionem, vt possit eas repetere: ex cap. Cum contingat De iureiurando. Extensionem etiam habet hæc obligatio tam quoad personas quam quoad res. Quoad personas quidem, quia vsurarij hæres in defectum ipsius tenetur restituere. Item si creditores mortem obiciant, restitutio facienda est hæredibus ipsorum; siquæ non supersint hæreses, facienda est pauperibus, iuxta textum expressum in cap. Cum tu, De vsuris. Quoad res vero, quia praeter rem vsurariè acceptam, si fructifera sit, vsurarius tenetur restituere omnes fructus perceptos: immo & non perceptos sua culpa, & negligentia, quos verus dominus perceperat. Itemque resatire damnum omne, ipsi vero domino inde emergens, aut lucrum cessans; ex communi doctrina de restitutione quam tradidimus in præced. num. 32.

De obligatione hæredum vsurarij.

397. Circa obligationem autem hæredum vsurarij quatuor occurunt monenda, quæ Petrus à Nauar. persequitur in l. 7. De restit. c. 2. n. 4. n. & aliquos seq.

Primum est, non esse dubium, quin si vsurarius defunctus non restituerit in vita acceptas vsuras, teneantur hæreses ipsius restituere pro viribus hereditatis. Ita enim aperte decernitur in cap. Tua nos. & in cap. Michael De vsuris: immo ad talem restitutionem perinde cogendos esse in foro exteriori, siue sint filij, siue extranei hæreses, accogi poterat defunctus ipse, cum viueret, haberet ex eodem cap. Tua nos. Et ratio est, quia ad hæreses generaliter transeunt obligationes soluendi debita defuncti; & compensandi damna quæ iniuste intulit; etiam si nihil inde ad ipsos peruenerit; pro quo est textus in cap. finali De sepulturis; & in cap. In literis De raptoribus. Videri potest Couar. li. 3. variã. resolut. c. 2. n. 7. Accedit quod bona defuncti ita represententur ipsi; vt ex illis ante omnia detrahendum sit res alienum: nequæ ipse aliter de illis disponere poterit in tempus subsequens suam mortem; in quo minime futurus erat in statu acquirendi alia bona, quib. debita solueret.

Secundum est, quod si hæreses succedant non solum in bonis; sed etiam in crimine vsurarum; eorum vnum quemque teneri in solidum: quia, vt patet ex traditis in præced. n. 113. & nonnullis seq. vnusquisque participantium in iniusta acceptione tenetur in totum ita vt cæteris deficientibus ipse integrum soluere debeat.

Tertium est, quod si res per vsuram acquisita extet eadem numero, eam restituere oporteat, apud quemcumque sit; quia illius dominium apud priorem dominum perseuerat, nec translatum est in vsurarium. Eo vero apud quem talis res fuerit restituente, singuli cæterorum hæredum tenebuntur suas portiones illi refundere, prout Sotus in li. 6. De iust. & iure, qu. 1. art. 4. pag. 4. expressit.

Quartum est. Eum qui in bonis quidem, non tamen in crimine, succedit vsurario: debiti tantum partem pro parte acceptæ hereditatis ei contingente (in qua sola representat personam defuncti) nec teneri supplere, si alter coheres partem suam non soluat ob impotentiam, vel aliam causam. Ratio est, quia quilibet hæres, sicut in bonorum tantum partem; ita in debitorum quoque tantum partem succedit: non autem in omnem obligationem, vt nec in omnia bona. Sicut enim æquitas ratioque postulat, vt qui sentit honorem & commodum totaliter, sentiat etiam onus & incommodum in totum: sic etiam iustitia exigit, vt qui bonum consequitur solum ex parte, solum etiam in parte obligationem sustineat. Hanc doctrinam Petrus à Nauar. tenet cum Medi-

na in Cod. De restituendis rebus per vsuram acquisitis quest. 4. in solut. quinti argumenti, & Soto loco cit. Sylu. Vsuras 6. quest. 10. & Caiet. in tomo 2. opusculi tract. 8. quest. 5. Non obstat autem cap. Tua nos, De vsuris: quia ex eo tantum habetur, quod haeres teneatur restituere vsuras sicut defunctus si uiueret; non autem quod si plures sint haeredes singuli teneantur in solidum; vt nec quod supra vires hereditatis simul omnes teneantur; prout notatum est à Couar. in lib. 3. variar. resolut. cap. 3. num. 8.

Si quaeras, An legatarij seu donatarij teneantur cum heredibus restituere. Respondetur negatiue, cum Medina loco cit. Et ratio est, quia haeres non autem donatarius in locum defuncti substituitur, succedens in ius vniuersum ipsius, ex lege Hereditas ff. De regulis iuris: & ideo in omne onus eiusdem. Quamquam rationale est (quod attigit Lud. Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 332. in fine) vt si bona hereditibus relicta titulo hereditatis ad hoc non sufficiant, vt illi solutis debitis habeant suam legitimam, partem vt iure ipso sibi debitam. Rationabile inquam est, legatarios, seu donatarios, quibus aliquid causa mortis donatum est, debere seruata proportione sentire onus talium debitorum, quatum requiritur vt haeredes ipsi debitis defuncti solutis, obtineant illam suam legitimam, qua fraudari non poterunt. De quo pro pleniore illius intelligentia, legi potest Syluester in verbo Legitima portio.

Porro cum, vt ante habitum est, vsura quaedam sit tantum interior, & quaedam exterior: haecque mentalis, quaedam realis sit, & quaedam mentalis: constat quidem, in interiori tantum, non inducere, etiam exteriori realem verò inducere an edictam obligationem: sed difficultas est de mentali, An inducat necne: quam oportet consequenter tractare.

Notanda ad explicationem difficultatis, An vsura mentalis inducat obligationem ad restitutionem.

398

De vsura mentali igitur difficultas est specialis, an inducat obligationem ad restitutionem: cuius explicatio continetur sequentium notandum propositione. Primum est, mentalem vsuram contingere, quando nullum quidem interuenit pactum de lucro ex mutuo, ne quidem tacitum: is tamen qui mutat id facit ea intentione, vt lucrum ex mutuo accipiat: quia nouit mutuatarium daturum illud, siue ob timorem, ne postea cum egerit negetur ei mutuum, siue alia aliqua simili de causa. In quo (ob prauitatem scilicet intentionis in iniuste habendi lucrum) peccatum vsurae mentalis committi, tradunt Caiet. in tomo 2. opusculi tract. 8. quest. 3. & in summula verbo Vsuras cap. 4. & Sotus in lib. 6. De iust. & iure quest. 1. art. 1. & Nauar. in comment. De vsuris num. 12. Vbi rectè notat non distinguere vsuram mentalem à reali perinde ac peccatum interioris cogitationis in aliis materiis, distinguatur communiter à peccato exterioris actus. In vtraque enim vsura, tam mentali scilicet, quam reali, datur, & peccatum interioris cogitationis; & actus exterioris. Vt enim si quis voluntatem habeat quidem mutuari propter lucrum, ac idem deducendi in pactum externum: sed nondum id mandet executioni, committit peccatum cogitationis vsurae realis: sique tale quid mandet executioni, peccat peccato externo vsurae realis: ita etiam, si quis habeat voluntatem dandi alicui mutuum ob lucrum, nullo inito pacto externo, sed eo quod scit illum soluturum esse lucrum necdum talis voluntas prodeat in actum externum, committit peccatum cogitationis vsurae mentalis: quando verò eadem voluntas in actum externum prodierit: vt exigendo vel accipiendo aliquid supra sortem, ratione mutui, committet peccatum externum vsurae mentalis.

399

Secundum notandum. Non conuenire inter doctores quænam intentio & spes lucri faciat vsuram mentalem. Nam glossa & Innocentius ad cap. Consuluit, De vsuris, verbo Sperantes, intentionem & spem lucri volunt tunc facere mentalem vsuram, cum lucrum est principalis & primaria causa mutui; non autem cum est minus principalis, & tantum secundaria. Id quod Angelus Syluester & Tabiena in verbo Vsuras primò sequitur, non longe à principio. Sentiuntque lucrum tunc esse principalem causam mutui, quando eo non existente

non daretur mutuum: minus principalis verò causam tunc esse, cum mutuum daretur nihilominus. Sed neque sententia, neque interpretatio ipsorum est tenenda. Sententiam enim Sotus in sequen. art. 2. non longe ab initio, propter ea meritò reicit, quod vsurae ratio (vt & ratio furti vel homicidij) lamatur ex obiecto: non autem ex eo quod intentio sit principalis vel accessoria. Quare sicut furtum est reuera, si rem alienam domino inuito accipias: siue ea principaliter, siue secundariò accipiatur animo habendi alienum: & reuera homicidium est, si aliquem siue principaliter siue secundariò perentias, animo vitam ei adimendi: sic etiam vsura est si lucrum ex mutuo intendas, siue principaliter, siue secundariò. Quod autem Sotus in hoc à Nauar. in Enchir. cap. 17. tu. 209. reprehenditur; im merito id fit, vt rectè ostendit Petrus à Nauar. lib. 3. De reitit. cap. 2. num. 200. & 201. quia quod intrinsecè malum est (vt lucrum ex mutuo vi mutui) nec principaliter nec minus principaliter intendi potest.

Interpretationem autem propositam causæ principalis, idem Petrus à Nauar. in præced. num. 192. ex eo reicit: quod si causa sine qua non, esse nequeat minus principalis: Clericus qui non diceret horas Canonicas vel Missam, nisi aliquid stipendium acciperet: eo ipso censendus esset principaliter intentione ob pecuniam accipiendam, Horas vel Missam dicere: & ita simoniam mentalem committere. Id autem falsum est: quia Ecclesia alloqui nunquam tales largitiones induxisset, vt Clericos impelleret ad diuini officij, & Missae celebrationem: ne præberet illis ansam peccandi. Itaque, vt in cit. num. 209. Nauar. notat, non sufficit finem principalem alicuius actus, quod si sine tali fine non fieret: sed adhuc requiritur vt idem finis pluris aut tanti æstimetur, quam finis alius, ob quem adhuc is ipse actus fit: atque ita pecunia quam Sacerdos accipit pro recitatione Horarum vel Missae, non est finis principalis eiusdem recitationis, quandoquidem non æstimatur tantis recitante, quanti honor Dei.

Medina verò in Cod. De reitit. rebus per vsuram acquisitis quest. 1. vt in Tertio inquirendum est: vale vsuram realem esse, cum spes lucri fuerit causa finalis mutui, siue principalis, siue secundaria: non autem tantum fuerit causa motiua. Quæ sententia quamuis acuta sit & docta, vraduerit Petrus à Nauar. in cit. cap. 2. num. 196. in executione tamen, est periculosa: quia valde difficile est eum qui ad mutuum movetur ex lucro, non etiam intendere lucrum. Adde quod cum lucrum ex mutuo vi mutui, sit intrinsecè malum, nullo modo ipsum scitari licere, sicut nec furtum vel homicidium.

Conradus autem de contrariis quest. 29. concl. 2. existimat vsuram mentalem esse quando beneuolentia ex mutuo sic intenditur, vt ex ea conciliata a quæ intermedia, lucrum expectetur. Quæ sententia videtur nimis rigida. Et refutatur quia quamuis vsurarium sit occasione, seu vi mutui lucrum immedia è intendere tamen ex amicitia tanquam eius causâ intendere immedia, nullam habet vsurae rationem, ne quidem mentalis. Nam sicut non possit dici mens furandi ea, quæ quis intenderet aliquid ab amico dandum voluntariè, quandoquidem non esset intentio vsurandi sibi illud inuito domino: ita etiam cum quis non cupit lucrum tanquam pretium exactum vi mutui; sed solum tanquam donum profectum ex gratia voluntate amici, non censetur vsura mentalis, cum non sit iniustitia: quandoquidem ex eo animo nequit proximus rationabiliter dici lucus. Adde quod non interueniente mutuo, possit quis licitè accipere oblatum liberaliter: neque is debeat per mutuum peioris conditionis fieri, sed potius melioris.

Superest igitur, vt cum Soto loco cit. & Caiet. 2. quest. 78. art. 1. ad 4. & in verbo Vsuras cap. 4. & in tomo 2. opusculi tract. 8. quest. 2. & aliis quos refert & sequitur Petrus à Nauar. in memorato cap. 2. num. 199. & 200. teneamus (sicut tenet Ludouicus Molina De iust. & iure tract. 2. disp. 305.) quod ad iudicandum de vsura mentali videre oporteat an lucrum aliquo modo intendatur ex mutuo: atque statuendum eam contingere eo ipso, quod tale lucrum intenditur: siue principaliter, siue minus principaliter & secundariò; ac siue mediate siue immedia intendatur. Nò contingere autem si tantum intendatur beneuolentia mutuatarij, etiam si ex ea conciliata aliquid temporalis comodi expectetur ac intendatur.

Id quod patet satis ex antedictis. Et adhuc confirmatur: quia ratio usuræ consistit in eo quod sit lucrum ex mutuo id est lucrum acceptum in recompensam, & pretium mutui. Inde enim inferre licet usuram mentalem esse, quotiescumque eiusmodi lucrum quis intenderit, etiam si minus principaliter tantum, & mediatur: quandoquidem id quoque est reuera intendere. Non esse verò usuram mentalem quando ex mutuo intenditur tantum benevolentia mutuatarij, etiam si ex benevolentia conciliata lucrum intenditur: quia non intenditur eo ipso ex mutuo: sed ex benevolentia, ex qua quod donatur liberaliter doni rationem habet; non autem pretij extortit: quoad rationem usuræ requiritur iuxta dicta in præced. sectione.

401. Sequitur autem hinc primò, quod si quis Episcopo timorata conscientia initio det intentione acquirendi benevolentiam ipsius, nullam committere usuram, etiam si per viam gratitudinis inde expectet ab ipso beneficium Ecclesiasticum cuius est dignus: quod notat Sorus lib. 6. De iust. & iure quæst. 1. artic. 2. pag. 2. Idemque iudicium est in aliis similibus prout notavit Nauar. in comment. De usuris num. 22. In quibus non esse peccatum expectare lucrum aliquod ex mutuo mediante amicitia & gratitudine: seu tanquam quid gratuitum ex libera dantis voluntate proueniens.

Sequitur secundò, quod idem Nauar. tangit in sequentibus, 23. & expressè docet Couar. in lib. 1. variarum resolut. cap. 20. num. 4. etiam si quis non mutuet nisi lucrum speraret (dummodo tamen ex benevolentia & gratitudine tantum illud expectet) ipsum non esse propterea condemnandum de mentali usura: quia per id intentio ipsius non fertur in lucrum ex mutuo ratione mutui, quoad ad usuram requiritur, sed ex mutuo ratione amicitia, cuius causa liberaliter, & ex obligatione tantum honestatis aliquid datur.

Sequitur tertio, non esse usuram mentalem cum quis non vult mutuarie alicui, quem putat ingratum esse: & libenter mutuat ei quem gratum videt. Hoc tradunt Caiet. in verbo Usura cap. 4. verù Aduerte, & Fumus eodem verbo, nu. 36. Rationem addentes, quod id non fiat spe lucrì ratione mutui; sed ex naturali inclinatione, qua malumus beneficia conferre bene meritis, quam aliis.

Sequitur quarto, etiam si is qui mutuum dedit, excitet mutuatarium ad remunerandum beneficium mutationis ab ipso acceptum; dicendo videlicet æquum esse ut illius non immemorem se ostendat, vel aliud simile, vnde mutuatarius excitetur ad aliquid supra sortem rependendum: ipseque mutans accipiat illud, non iniquabitur propterea mentali usura: dummodo reuera intenderit ea ratione ex liberalitate solummodo & gratitudine mutuatarij lucrum habere: & verosimiliter credat eundem mutuatarium tali modo excitatum, non nisi ex liberalitate donare. Id quod à Caietan. traditum 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 4. in speculatione quidem verum est: in praxi tamen est periculosum propter varias circumstantias, ex quibus ipsum potest esse inuoluntarium: de qua re Confessarius debet sollicitus esse: neque simpliciter credere dicenti, liberaliter donatum sibi esse: quia ob habendi cupiditatem facilè mentitur iniquitas sibi.

Tertium notandum, est quod habent Caietan. in verbo Usura cap. 4. & Sorus lib. 6. De iust. & iure qu. 1. art. 4. pag. ante penult. & Armilla in verbo Usura nu. 35. quatuor modis posse contingere ut mutuator aliquid ultra sortem accipiat à mutuatario.

402. Primus est, quando mutuator nihil præterdit ex mutuo, & mutuatarius aliquid ei ex liberalitate donat: tuncque, nec usuræ peccatum contingit, nec obligatio ad restitutionem; ut satis ostendunt rationes allatæ contra sententiam Contradi.

Secundus modus est, quando & mutuator præterdit lucrum ex mutuo, & mutuatarius illud dat, non ex liberalitate & gratis, sed ut pretium & compensationem mutui percipiat: ut eum dat, quia inter eos ita fuit prius conuentum; vel quia ex signis & nutibus mutuatoris, nouit ipsum velle lucrum ex mutuo; vel quia timet ne ei vringatur; postea cum egerit denegetur mutuum; vel datum statim repetatur cum suo incommodo: tuncque omnium confessione, ut notat Petrus à

Nauar. in cit. cap. 2. num. 211. constat mutuatorem committere usuram, & ad restitutionem teneri: quia quantumvis suam mentem auaram celet: dum tamen scit aliquid dari ratione mutui, planè scit non dari liberaliter, sed in pretium eius, quod non est pretio dignum, ideoque se rem alienam habere inuito domino.

Tertius modus est, quando mutans non intendit lucrù ex mutuo nec mutuatarius donat illud ex liberalitate: quo casu mutans non peccat accipiendo, etiam animo retinendi, cum id faciat bona fide; utpote credens donati sibi ex liberalitate: nec item retinendo, quamdiu talis bona fides durat. Postquam autem ei de animo illo mutuatarij constitit, tenebitur id restituere, quod ex re accepta adhuc extabit, & in quo ipse factus est locupletior; prout locis cit. Caiet. Sorus & Armilla notant: & omnes in eo conuenire habet Petrus à Nauar. in eodem cap. 2. num. 215. Patetque ex communi doctrina de obligatione ad restitutionem ratione rei iniuste acceptæ antea proposita in num. 24. & aliquot sequentibus. Idem in comment. De usuris num. 24. ex Anton. Syluest. & Caiet. habet etiam Nauar. Addens (quod ipse adhuc notat in Enchir. cap. 7. num. 209. & post eum Petrus à Nauar. in seq. num. 230.) voluntatem prædictam liberaliter donandi in mutuatario, quæ ex natura rei nequit cognosci: conueniendam esse ex qualitate rei datæ, ex signis amicitia, ex dantis paupertate vel copia, ex iactura vel lucro eiusdem in usu rei mutuo acceptæ, & demum ex eo quod virtus gratitudinis expolcit. Immo, ut ibidem vult. Petr. à Nauarra, ad scrupulos vitandos potest ad hoc sufficere, ut mutans existimet liberaliter & causa gratitudinis sibi datum esse illud, quod ultra sortem accepit à mutuatario, si nulla ipse dederit signa voluntatis habendi lucrum: sed placidè omnino; promptè, ac libenter dedit mutuo: neque in mutuatario tritis vulcus in dando; vel alicuius metus, aut coactionis signa appareant, quantumcumque ignoretur animus ipsius: nisi conscientia diceret nõ dari liberaliter: quia etiam si ea esset erronea, non liceret contravenire ei (multò minus si esset dubia ob aliquas rationes probabiles in contrarium) antequam deponeretur iuxta communem doctrinam tradendam suo loco in sequent. libro decimotertio.

403. Quartus denique modus, quo contingit aliquid accipi ultra sortem, est quando mutans præterdit lucrum ex mutuo, & mutuatarius liberè dat.

Postremum ac præcipuum notandù, est in hoc ipso quarto maxime modo consistere difficultatem nobis ad explicandum propositam. De qua sunt sententiæ oppositæ: pro quarum utraq; plures authores citantur à Couar. ad regulam Peccatum 2. par. in initio num. 4. & post ipsum à Petro Nauar. lib. 3. De restit. cap. 2. pro affirmante quidem, qua assertitur in tali casu mutuantem teneri ad restitutionem, nu. 209. pro negante verò, qua idem à restitutione excusatur nu. 221. Vterque autem posteriorem hanc partem amplectitur, ut & cæteri recentiores communiter. Nequimmeritò, quia quantumcumque intentio sit lædendi aut damnificandi, si nulla sit exterior læsio, aut damnificatio, nulla est obligatio restituendi. At in proposito casu, nulla exterior læsio, aut damnificatio infertur à mutuatore: cum animus lædendi non sit læsio efficax: neque mutuatarius ex eo quod mutuator malum animum habuerit, conqueri possit de illius acceptione, cum ipse ei gratis dedit placidè, & voluntariè, nulla necessitate impulsus, nullo metu coactus, aut fraude deceptus. Vnde cum taliter donatum, fiat donatum: si sane ad accepti restitutionem non tenetur ob prauum quem habuit animum accipiendi illud in pretium: ut neque is qui pallium Petri accipit animo illud fatandi, tenetur restituere, si comperiat suum esse, aut Petrum liberaliter illud ei donare.

Accedit quod in cap. fin. De simonia, decernatur non esse restituenda accepta per simoniam, si pactum exterius absit, Cuius resolutionis ratio melior reddi non potest, quam cum dans tunc pecuniam, voluntariè eam det; non fiat illi iniuria eamdem retinendo. Quod verò Medina dixit eam resolutionem esse tantum pro foro exteriori: ut in eo non compellatur restituere: is qui aliquid accepit per usuram mentalem: Petr. à Nauar. in eod. cap. 2. num. 219. rectè reicit, per illud quod ibidem dicitur. In eo casu sufficere delinquentibus, suo creatori per penitentiam satisfacere. Ea enim verba satis in-

dicant Pontificem loqui de restitutione quoad forum penitentiae: indicando quoad illud, simoniam mentalem non inducere obligationem ad restitutionem faciendam proximo, qui liberaliter dedit: sed tantum Deo per penitentiam.

404 Pro parte autem contraria affirmante, videtur facere illud quod in cap. Consultat, De usuris decernitur, eum malè agere, & ad accepta restituenda efficaciter inducendum esse qui licet omni conventionione cessante: eo proposito mutuum pecuniam dedit, ut plus forte recipiat, alias non daturam mutuo. Sed ut post Sylvestrum & Conarr. advertit idem Petrus à Nauar. in sequ. num. 223. non constat sermonem ibi esse de eo qui prava intentione accepit, cum esset liberaliter oblatum: immo praesumi merito contrarium: cum expresse de eo loquatur qui non mutasset nisi lucrum accepturus esset. Vnde vix fieri potuit quin tactam illam suam intentionem insinuarit mutuario, ita ut hic merito praesumatur, causam mutui potius & inimi è quam gratis & liberaliter donasse proindeque Pontifex in foro conscientie statuit talem, inducendum esse ad restitutionem sic accipi.

Facere etiam videtur pro eadem parte hæc ratio, quod quando aliquid bene datur, & malè accipitur, ipsum sit restitutioni obnoxium: ut patet de eo quod Index accipit vitiatam sententiam proferat, quod gratis facere tenetur. Sed facile est respondere: eceptionem, siue licita sit siue illicita; ut obligationem ad restitutionem inducat, debere includere iniuriam proximo illatam contra iustitiam commutatiam, prout accidit in proposito exemplo de Iudice, qui pretium accipit pro eo quod tenetur gratis facere. Non autem in casu praesentis difficultatis, in quo gratis ac liberaliter datur illud quod accipitur, & per consequens absque dantis iniuria in xtra titam regulam iuris, Volenti non fit iniuria. Et confirmatur à simili quia ex communi sententia, quod meretrix turpiter acquirat per corporis sui prostitutionem, non est restitutione obnoxium, quando liberaliter datur ab eo qui donare potest prout habitum est in praecedenti numero 191. Nonnulla alia quæ huc videntur facere; facile solvantur, ut videre est apud Lud. Molinam De iustitia & iure tractat. 2. disputat. 306.

*De in ad quos tanquam usurarii cooperatores in usura exercenda proposita obligatio extenditur.*

### SECTIO III.

405 **D**e usurariorum cooperatores in usura exercenda, generalis regula est tenenda. Quod quicumque vere est causa, ut quis per usuram alterum lædat, non modo peccet mortaliter: verum etiam tanquam cooperator usurarii, tenetur ad restitutionem in integrum, usurario ipso non volente vel non valente eam facere. Pro quo facit communis doctrina tradita in præced. cap. decimo. Et confirmatur per illud, quod dans damni causam, damnum quoque ipsum dare videatur, ex cap. finali De iniuriis, & damno dato. Intellegitur autem ex ea regula; illos omnes qui efficaciter siue consulendo, siue procurando, siue scribendo, siue aliquid aliud eiusmodi faciendo; cooperantur ad exactiorem vel retentionem usurarum, teneri ad eorum restitutionem in solidum, seu totalem: quia tales agendo rem usurarii, causa sunt efficiax ut ipse per usuram lædat alterum. Secus esse verò de illis qui consulendo aut procurando, aut aliud agendo cooperantur ad mutationem usurariam de consensu expresso vel tacito mutuarij in ipsius bonum: nimirum ut succurratur ipsius necessitati, vel ne mutuum illi denegetur postea, cum egerit. Nam hoc non est lædere proximum, & cooperari iniustitiam usurarii, sed mutuario indigenti consulere & cooperari in subveniendam ipsius necessitate: cui proinde nihil ille tenetur restituere, etiam si fuerit author solvendi usuram, & usurario dandi ad usuram. Quantumvis in hoc peccare eodem modo poterit, quo potest mutuararius ipse, ut non parum incitantando dare ad usuram, tanquam is qui cooperatur peccato alieno. Atque hæc quidem certa sunt: sed quænam personarum genera sint quæ censeantur ad exactiorem & retentionem usurarum ita cooperari, ut obligentur ad eorum restitutionem, usurario non restituente dubitationem habet.

406. Dubitatur ergo primò de consulente, iubente, vel suadente

ut mutuet quis sub usuris, an teneatur ad restitutionem in solidum, viutario non restituente, quantumcumque nihil accipiat de lucro usurario. Pro explicatione autem videtur hac distinctione utendum: quod si consulat, aut suadeat, ut quis contractum usurarium celebret, vel ut mutuet sub usuris, tunc obligetur ad restitutionem in solidum: quia consilium tuum verè est causa damni. Quæ doctrina est Soti lib. 6. De iust. & iure q. 1. art. 4. sub finem & Nauar. in Enchir. c. 17. n. 265. Si verò consilium tuum solum sit post contractum usurarium, siq. ut nihil ad usuram acquirendas contuleris, nullam contrahas obligationem restituendi, quia antea ipsius consilium tuum, iam existebat tota efficiax causa damni. Neque refert quod forte poteris impedire receptionem usuram: quia ex hypothesis ad id non tenebaris ex officio; sed solum ex charitate. Quod si consilium ipsum tuum effecerit aliquid, per quod usura acquireretur, teneris ad restitutionem, tanquam cooperator. Idem iudicium est de Confessario, aut quocumq; alio qui siue interrogatus siue non interrogatus, verbis suis est in causa ut usurarius non restituat.

407. Dubitatur secundo, de deponente pecunias suas apud eum, quem nouit esse sceneratorem. Ad quod dubium, D. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 4. ad 3. respondet, illum ad nihil teneri, si scenerator alias pecunias habuit, quas mutuo dare potuit; quia nullam tunc dedit occasionem scenerandi. Tenei verò si scenerator nullas alias habebat: quia, inquit Sotus 1. 6. de iust. & iure q. 1. art. 5. in fine, perinde tunc est, ac si propositum tuum esset, pecuniam tuam scenerari dare: quod est iniquum propositum. Non videtur tamen hoc habere locum, si quis ob necessitatem vel utilitatem aliquam suam, pecunias suas apud usurarium deponit: ex qua videretur iure, quod habet deponendi apud ipsum. Sicut habet petendi ab ipso mutuum, quantumvis sciat non nisi sub usura daturum: de quo in seq. lib. 23. cum de usura. Quod verò usurarius inde accipiat scenerandi occasionem, provenit ex malicia ipsius, non ex deponendi liciti, aut mutui contractu, qui cum ipso iuratur. Attamen potest in eare peccatum committi contra charitatem, non habendo rationem infirmitatis proximi, quantum eadem charitas exigit: peius de ac si luxurioso tradere, ut puella custodienda: aut guloso committerentur epule seruandæ. Atque hoc, quod de deponente dicitur, pari ratione dici potest de alio dante suas pecunias sceneratori, ex aliquo licito contractu celebrato cum ipso.

408. Dubitatur tercio, quid dicendum sit de dominis temporalibus, Iudicibus, Aduocatis & quibuscumque aliis, qui statuto, præcepto, sententia, patrocinio, aut quouis alio modo iurant usurarios in exigendis usuris à mutuariis, aut in his ad solutionem illarum impellendis. Respondendum est verò, tales non tantum mortaliter peccare; sed etiam vnumquemque eorum in solidum teneri ad restitutionem usurarum, ad quarum receptionem cooperati sunt, & concealse fuerunt: nisi restituerint ad quos illæ peruenierunt. Iudices præterea & domini temporales, quibus ex officio incumbit ius dicere, tenentur ad restitutionem usurarum quas mutuarij soluerunt, si coram ipsis repetantur, ne eum beate restitui. Idem pari ratione tenendum est de quocumq; impediente eorum restitutionem. Quæ doctrina est Sylu. Usura 7. q. 10. Angel. Restitut. verbo Usurarius §. 8. Nauar. in Enchir. ca. 17. nu. 275. & Soti lib. 6. de iust. & iure q. 1. art. 4. versus finem. Ratio est, quia hi omnes causa sunt iniustitiam, & damni quod mutuariis patitur.

Adde per Clem. vnicam de usuris (quod præter glossam ibidem tractant D. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 10. & in verbo Excommunicatio Caiet. cap. 51. Angel. in 7. cau. 43. Sylu. in 9. cau. 82. d. cto 43. Tabiena in 5. cau. 50. Nauar. in Enchir. c. 27. n. 43. versu 42. Suarez ad 3. part. D. Thom. tomo 5. disp. 23. num. 28. & sequenti) excommunicationis sententiam incurtere communitatem Potentes, Capitaneos, Rectores, Consules, Iudices, Consiliarios & alios quosuis Officiales, qui condiderint, scripserint, vel dixerint statuta quibus usurae permittantur exigi, & compellantur solui, aut prohibeantur repeti iam solute. Incurrere etiam eos, qui scienter & liberè indicare præsumpserint, ut usurae soluantur. Item eos qui prædicta statuta auferre poterint, si non fuerint subla: intra tres menses. Item eos qui talia statuta, vel similem consuetudine seruauerint.

Vbi aduerte quoad statuentes, illos in hanc ententiam incurrere, qui suis suffragiis, aliove modo peccando mortali- ter, concurrunt ad eiusmodi statuta. Quoad Iudicantes verò (quia tale iudicium in cit. Clemen. per se prohibetur) ipsos incurrere in eandem censuram, etiamsi non ex prædicto sta- tuto, sed ex abusu aut violentia iudicent. Quoad non aufe- rentes autem eadem statuta, ipsos non excusari ex eo quod illa non fecerint: sicut nec à restitutione rem habens alienam ex eo excusatur, quod non ipse, sed alius illam furripuerit. Quoad seruantes denique talia statuta & consuetudines eos esse officiales publicos, quorum primo loco mentio est in eadem Clemen. Circa eos enim continuari seruitutem, indicā. verba illa eandem etiam sententiam incurrunt; adeo ut ple- beij seruantes, non incurrant talem censuram, quantumuis peccent.

Aduerte etiam, neque esse eidem censuræ obnoxios sta- tuentes ne Iudæi, vel alij vltimij certam vsuram (magnam scilicet) exigant: quia aliud est statuere ne magnæ vsuræ exi- gantur, aliud ut ex gantur vsuræ. Nec item eos qui impu- nè permittunt vsurarios, seu qui eos non puniunt. Nam peccat non sunt interpretatio extendenda; & in dicta Clemen- tia excommunicatio non imponitur absolute permittenti- bus vsuras, sed permittentibus per statuta. Et confirmatur ex eo quod Papa in terris E. clefæ, Iudæos vsurarios toleret, nec puniat.

409. Dubitatur quartò, Quid dicendum sit de Tabellione & Notario conficiente instrumentum contra vsurarios. Ad quod dubium, cum Angelo Restitut. i. verbo vsurarius num. 6. Sylu. Vtura 7. quæst. 7. Rosel Restitut. 6. num. 4. Nauarr. in Euchir. cap. 17. numer. 275. Soto in libro 6. de iusticia & iure quæst. art. 4. in fine, Petro à Nauarr. in lib. 3. De restitutione cap. 2. num. 430 & aliquot sequentibus respondeatur distinc- tione. Nam si instrumentum ita conficiatur, vt aperte in eo exprimat vsura, Notarius in illius confectioe peccat qui- dem, non incurrit tamen obligationem ad restitutionem. Ratio est, quia vi talis instrumenti, mutuatarius non potest in iudicio cogi ad solvendum vsuras: nisi forte ibi conluer- do, aut lex esset vt vsuræ soluantur: quo casu cum pec- cato coniuncta esset dicta obligatio. Si verò instrumentum esset fictum, vt cum dicitur, quod Caius centum accepit à Ti- tio, cum tantum accepit 95. (quia mutuatarius tunc cogi- tur soluere cum non appareat vsura) tenetur restituere in so- lidum ea, quæ virtute talis instrumenti soluta in iudice fuerint à mutuatario; quantumuis ipse consenserit confectioe eius- dem instrumenti.

410. Addunt verò Sylu. Angelus & Nauarr. locis citat. Notarij si ad petitionem mutuatarij, & tanquam partes illius agens, instrumentum conficiat, peccare quidem mortaliter, non tene- ri tamen ad restitutionem. A quo peccare mortaliter pare- tum quæ facit contra iuramentum, quando creatus est no- tarius præstitum de non faciendo tali instrumento: tum quia tale instrumentum est testificatio veritatis: non cuiusvis inque, sed talis, cuius vi postea exiguntur & soluitur vsura. Vnde sicut vsurarius peccat non tantum celebrando contractum vsura- rium, sed etiam petendo vel accipiendo postea vsuras ita etiam peccat qui illi suppediat instrumentum, cuius vi eas- dem petit & accipit: vt facere censetur Notarius conficiens instrumentum in gratiam quidem mutuatarij, & deque con- sensu ipsius: sed sic, vt vsurario faciat potestatem, quæ eius- dem instrumenti vi, possit etiam in iudicio vsuras petere: quod est præbere tali petitioni (quæ est peccatum mortale) auxilium. Secus esset verò si tale instrumentum nullam aliā vim haberet quam excitandi mutuatarium ad solvendas vsu- ras promissas, quia excitatio eiusmodi non est de se peccatu: vt nec est vsuras soluere.

Quod autem in dicto casu non sit obligatio ad restitui- onem patet: quia Notarius tunc agit tanquam partes mutuatarij: vnde sicut hic non committit iniustitiam petendo ad vsurā, ita nec ille agens partes ipsius, conficiendo instrumentum quo vsurarius reddatur securus; committit vllam iniustitiam in ordine ad ipsum mutuatarium. Ego nihil teneat resti- tuere eidem tanquam per ipsam læsionem contra insti- tiam.

Atque istud quod de Notario dicitur pari ratione dicen- dum est de testibus ex Angelo nu. 7. Sylu. quæst. 9. Nauarr. nu.

177. locis citatis. Nempe cum prædictum instrumentum abique testimonio non valeat: testes exhibendo se præsen- tes ad testimonium ferendum; & peccare & restitutioni ob- noxios perinde fieri, ac Notarium, à quo id ipsum instru- mentum confectum est, adeo vt cum Notarius ad restitutio- nem teneatur, vel ab ea liberatur, similiter teneatur vel li- beri sint testes ipsi. Quod intellige; si quidem scienter conue- nerint ad conficiendum contractum vsurarium. Nam si bona fide conuenierint, inuincibiliter, aut probabiliter contractū vsurarium esse ignorantes, prout sepe contingit (secus si du- bitarent, nec cum probabili ratione deponerent dubium vt rectè loco citato admonet Nauarrus) tunc ad nullam resti- tutionem tenebuntur. Nō quidem ratione rei acceptæ, quia supponimus nihil ad eos ex vsura pertinisse: quod si perue- nerit dubium non est tenere illud restituere: nec ratione in- iustæ acceptionis, cum non peccauerit tali concursu ob igno- rantiam inuincibilem. Idem porro quod dicitur de testibus, dici potest de alijs personis subscribentibus contractui vsu- rario: cum in ex illorum subscriptione habeat robur ad extor- quendam vsurariam solutionem.

411. Dubitatur quartò. Quid sentiendum sit de negotiorum gestoribus, quos factores vocant, de tutoribus & curatori- bus, & in vniuersum de iis qui aliorum nomine dant mutuo sub vsuris, easque exigunt. Responso est teneri ad restituti- onem etiam in integrum, nisi ij quorum negotia gerunt, & ad quos vsuræ peruenierunt, illas restituant. Ita locis cit. Syl- uest. quæst. 4. Nauarr. num. 267. ac Soto in ante memorato art. 4. sub fine. Ceterum ij quorum negotia geruntur, tenentur in integrum & principaliter vsuras restituere, cum de ipsorum consensu ex exercerint: talis tenentur tantum restituere, quod conuertum fuerit in ipsorum commo- dum.

412. Dubitatur sextò. Quid dicendum sit de famulis qui non cooperantur in contractu vsurario celebrando, sed solum ser- uiant post contractum factum: nempe quod mutuo datum est scribendo in libris: aut pignora vel vsuras recipiendo, vel illas petendo à mutuatarijs, vel gestando, seruando, nunc: ad- do, dando vel accipientem mutuatariam pecuniam. De qua du- bitatione duæ sunt sententiæ: altera Soci & Sylu. locis cit. ta- les non teneri ad restitutionem; altera contraria Nauarrus in citato num. 267. & Medine in Cod. De acq̄sitis per vsuram, quæst. 4. non procul à fine.

Videtur autem distinguendum cum Petro à Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 2. num. 427. vt si famulus aut pecuniæ petitor vel collector, aliquo pacto, siue importunis verbis, & coactioni- bus, siue minis permoueat, aut cogat mutuatarium soluere vsuras, tenenda sit hæc posterior sententia: quia illa vexatio ad quam vexatus nō habet auctoritatem, cum nec dominus ipseus habeat, est iniusta: vt illa Iudicis, ad idem compellentis: pro- pter quam is, vt supra diximus, tenetur ad restitutionem in so- lidum. Si verò nullo modo compellat mutuatarium, sed tan- tummodo solutionem à iam determinato petat, & accipiat: neque domini ad vsuram dantis, mandatum exequatur in alio, quam recipiendo pignus, aut tradendo pecuniam mu- tuam nomine ipsius; prior sententia est sequenda: quia talis nullatenus cooperatur ad iniustam exactionem, aut ad contractum vsurarium: cum pretium exigendum, iam taxa- tum esset, ac de eo iam conuentum: ita vt mutuatarius non pos- sit rationabiliter de eo conqueri, tanquam de eo à quo sit ini- iuste læsus: præsertim cum sciat ipsam non facere tale quid sponte, sed Domini iussu: neque e molumentum inde ipsi provenire: quod potest sufficiens motuum esse ad conde- nandam nec cogendum ipsam ad restitutionem.

413. Dubitatur septimò. Quid dicendum sit de proxenetis, id est, iis quorum beneficio & interuentu inter vsurarium, & mutuatarium inicitur contractus mutui. Ad quod iuxta antedi- ctam re pondendum est: quod si tales agant mutuatariorum partes quæ re lo eis mutuum sub vsuris, non peccent nec teneantur ad restitutionem. Peccant autem & teneantur ad restitutionem, si agant partes vsurarij. Ratio manifesta est: quia in hoc posteriore casu, sua interuentione reuera coope- rantur ad effectum iniustum: non item in priore: in quo mu- tuatarius de ipso, vt eo à quo læsus sit, conqueri non potest rationabiliter, vt de se patet. Ita tenent locis cit. Soto & Na- uarrus.





414. Porro quæ circa cooperatores in vniuersum idem Sotus ibidem notat de supradicta obligatione ipsorum ad restitutionem, intelligenda esse nisi vsurarius restituerit, habetur ex communi doctrina de restitutione, secundum quam principali debitor restituente, cæteri ab obligatione restituendi liberantur. Monet etiam, quando nihil vsurari ad ipsos peruenierit, debere pro sua vitili operam dare vt vsurarij restituant: sique nihil profecerint, conueniant creditores à quibus obnoxie debitorum, vel partis ipsorum remissionem precantur eo nomine, quod nihil earumdem vsurarum ad ipsos peruenierit; & vsurarij teneantur principaliter eis satisfacere integrum. Ad quod monitum addiderim: si quoad aliquem ipsorum verosimiliter credatur, quod mutuatarius nolit sibi restitutionem ab eo fieri, credi posse patiter, talem non esse restitutioni obnoxium: vt nec est is qui rem alienam furtiipuit, quam à domino sibi condonari probabiliter existimat. Adhuc notat, & bene, idem Sotus: eum ex cooperatores, qui per ignorantiam excusatur à peccato, excusari quoque à restitutione. Cum enim obligatio ad restitutionem vsurarum exurgat vel ex iniusta acceptione, vel ex re accepta; neque is quem ignorantia penitus excusat à culpa, obligetur ratione acceptionis iniustæ, nec item ratione rei acceptæ; *supposito quod nihil vsurarum apud se retineat*: sanè is qui vsurario per ignorantiam cooperans, excusatur omnino à peccato, obnoxius non est restitutioni vsurarum ab illo acceptarum.

*De accipientibus aliquid ab habentibus acquisita per vsuram.*

SECTIO . IV.

DE his mouentur aliquot difficultates, quibus præmittenda est explicatio nonnullorum dubiorum de acquisitis per vsuram.

*Dubia de acquisitis per vsuram.*

415. **D**ubatur ergo primo, An vsurarius habeat dominium rei per vsuram acquisitæ. De hoc in vtramque partem plures auctores citant Sotus in lib. 6. de iustitia & iure quæst. 1. art. 4. Couarr. in lib. 3. var. resolut. cap. 3. nu. 6. Lud. Molina de iust. & iure tract. 2. disp. 326. Greg. à Valent. 2. 2. disp. 5. qu. 2. puncto 1. Petrus Aragonius 2. 2. quæst. 78. art. 3. & Petrus à Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 2. num. 388. qui partem negantem amplectuntur: nec immerito, quia nullo iure fit talis translatio dominij: cum ius tam naturale quam diuinum, & humanum prohibeant vsuram ei resistat; obligationemque imponat sine mora restituendi acceptum, neque patiatur illud retineri, sicut nec illud quod latro ab inuito extorsit: nam æquiparatur in furti, & iniustitiæ ratione ei iuxta cap. Si quis vsuram 14. quæst. 4. in quo accipiens vsuram dicitur rapinam facere. Et merito quia domino rationabiliter inuito, ac sine iusto aliquo titulo acceptum est & retentum; prout inductione probat Angelus vsura 2. num. 18. Accedit, quod cum mutuatarius, vt *supponimus*, non intendat per solutionem vsurarum gratis donare: non sit censendus plus iuris vsurario dare in eo quod soluit, quam ei debeat ratione mutationis. At ea ratione nihil debetur ei præter sortem. Ergo ex intentione solventis nihil acquirit, neque in eum transfertur vsurarum dominium: sed tantum fit externa traditio, de qua fuit data fides ad impetrandum mutuum ab eo, qui non erat alloqui daturus. Nec refert quod talis traditio fuerit voluntaria; quia ex voluntate tradendi, non sequitur necessario voluntas transferendi dominium, vt patet ex tradente pecuniam, aut aliam rem latroni, ad redimendam suam vexationem.

Non est tamen negandum, quin vsurarius per accidens acquirat aliquando dominium pecuniæ vsurariæ acquisitæ; vt quando eam cum alia sua ita miscuit vt discerni nequeat argumento textus in §. Quod si frumentum. Instituit, de rerum diuisione; & aliarum legum quas adfert Petrus à Nauarr. lib. 4. de restit. cap. 1. num. 8. vbi & plures auctores in hac sententiam referunt. Ratio verò est, quia facta mixtione, non est maior ratio vnius partis totius cumuli quam alterius vt ea dicatur aliena, non autem propria esse. Idem tenent Angelus in initio citati §. 18. & Sylu. vsura 6. in principio: vbi notant rerum vlu consumptibilium, vt pecuniæ, frumenti, vini, olei, & cæterarum

quæ in pondere numero & mensura consistunt: dominium perinde acquiri à possessore, quando eas ita permiscet suis similibus, vt nequeant sepeari, ac si eæ ab ipso consumerentur. Quamquam quæ talis permixtio non est consumptio realis, quamdiu eiusmodi pecuniæ acruus perseverat idem numero, qui erat quædo ei commixta est pecunia per vsuram accepta; mutuatarius ius habet in re, atque realem actionem respectu prædicti acruus, ad quemcumque is peruenierit, vt inde ante alios creditores, sibi restituatur illud quod per vsuram soluit, tanquam ibi commixtum, & separabile per Iudicis designationem. Secus est verò, si acruus ille in emptionibus, donationibus, &c. paulatim consumeretur: ita vt apud neminem inueniatur idem numero qui erat, quando vsuraria pecunia alteri permixta fuit: quia tunc mutuatario competeret solum actio personalis contra vsurarium, qua ad restitutionem vsuræ quam ei dedit compellatur. Qua de re Molina in memorata disput. 326. nu. sexto: non sequenter latè persequens solutionem rationum quæ adferuntur pro parte affirmante propositi dubij.

Porro iudicio Petri à Nauarr. in lib. 3. de restit. cap. 2. nu. 400. quod dicimus vsurarium non acquirere dominium rei per vsuram acquisitæ; sic verum est, vt locum habeat, etiam si illud soluens, haberet in voluntate transferre dominium: propterea quod talis voluntas est coacta, & ideo ad donationem, aut quamcumque promissionem in qua nihil accipitur in compensationem, minimè sufficiens: natura enim donationis, & prædictæ promissionis, quæ actus est liberalitatis, exigit vt procedat ex spontanea, & liberali gratæque voluntate.

416. **D**ubatur secundo, An vsurarius acquirat dominium fructuum quos profert res fructifera per vsuram accepta. Ad quod cum D. Thoma 2. 2. quæst. 78. art. 3. responderetur negatiuè. Cuius negationis ratio est, quod tales fructus pertinent ad mutuatarium: vt pote rei, quæ illos producit, verum dominium; cum vt habitum est in præced. dubio dominium non transferretur in vsurarium. Deducendæ sunt tamen expensæ circa eosdem fructus factæ, sine quibus id verum dominium non peruenissent. Adde quod si per negligentiam vsurarius non perciperet fructus quos talis res produxisset in manu mutuatarij, teneatur ad eorum restitutionem; tanquam is qui ab illorum perceptione verum dominium iniuste impediuerit. Sin detur quod mutuatarius ex talire, fructus non esset percepturus, siue per suam negligentiam, siue alia de causa: dicendum est consequenter, quod vsurarius tunc non teneatur restituere fructus per suam negligentiam non perceptos. Non enim tenetur ex re accepta, vt patet neque ex iniusta acceptione: quia nullum quoad eos damnum intulit mutuatario, qui, vt *ponimus*, non erat fructus villos percepturus.

417. **D**ubatur tertio, An vsurarius acquirat dominium eorum quæ ex re vsuraria non fructifera sibi comparauit, vt ex pecunia vsurariæ accepta. Ad quod dubium respondendum est affirmatiuè: nempe acquirere: atque adeo ipsum non teneri tale lucrum restituere mutuatario, verò eiusmodi pecuniæ domino. Quæ responsio est D. Thomæ loco cit. & multoties aliorum, quos Couarr. commemorat in lib. 3. variarum resolut. cap. 3. num. 6. & post eum Ludouicus Molina in sequenti disputatione 327. num. 5. Probatur verò, quia tale lucrum non est fructus quem res ipsa proferat, sicut quando est ea fructifera ex sua natura: sed quæ præcisè hominis industria proferat siue negotiando, siue emendo, siue etiam ludèdo, aut aliquid aliud agendo: perinde ac si quis artificij surripiat instrumenta artis, & suam industriam arteque, vtendo eis; aliquid acquirat. Nam non acquirit illud artificij, sed sibi: etiam si teneatur domino restituere eadem instrumenta, & omnine damnum inde illi emergens, aut lucrum cessans. Itaque si vsurarius ex pecunia vsuraria domum aut aliam possessionem emat, quamuis teneatur talem pecuniam restituere, non tenetur tamen domum aut possessionem, aut fructus ex ea perceptos, postquam effectus est dominus illius: perinde ac cum depositarius aliquid emit ex pecunia apud se deposita, illud acquirit sibi iuxta legem Si ex ea pecunia Cod. De reuendicatione. Item si fur aliquid emat ex furtiua pecunia, illud quoque sibi acquirit, per legem qui vas §. fin. ff. De furtis. Cui doctrinæ suffragatur, cap. Cum tū, De vsuris, dum in

eo statuitur, non quidem ut possessiones ex pecunia viuraria empta tradantur iis, qui viuras soluerunt, tanquam sint ipso- rum: sed ut vendantur ad restituendum viuras, eis à quibus sunt solute.

418. Dubitatur quartò, An si viurarius re siue fructiferam, siue ipso usu consumptibilem, quam viurarie accepit, vendiderit, aut commutauerit cum aliis, acquirat verè dominium illorum quæ pro eis accepit, siue pecuniam, siue quid aliud accepit. Ad quod respondendum est affirmatiuè congruenter proximè dictis. Nam si ex lege Quivas §. fin. ff. de furtis ad furem qui vendit rem furtiuam, *vt equum*, pretium acceptum pertinet: non autem ad dominum equidem sanè participatione dicendum est de viurario, qui equum viurarie accepit vendiderit. Licet autem contractus ille, quo venditur, aut permutatur res aliena, validus sit, iuxta legem Rem alienam ff. de contrahenda emptione; per eum tamen non transferitur dominium rei venditæ in emptorem, iuxta legem Exempto ff. de actionibus empti & venditi. Ratioque est, quia semper apud dominum perseverat dominium, cum is illud à se non abdicauerit: unde vbi cum rem talem inuenit potest eam sibi vindicare. Valet nihilominus, *vt diximus*, talis venditionis contractus, ita vt vi illius tanquam validi, venditor emptori teneatur de euictione prædictæ rei, seu de valore eorum existentis apud ipsum, quando ei auferatur, vero domino illam sibi vindicante. Itemque de damnis omnibus inde subsecutis. Circa prædicta autem aduertere, quod est venditio rei furtiue valeat, quando solus venditor scit eam esse furtiuam: tamen si emptor quoque eam talem sciat, contractum ipsum venditionis esse nullum. Si vero emptor id sciat, venditor non item: hunc non teneri stare contractui. Hæc habentur ex lege Si in emptione §. Item si & emptor ff. de contrahenda emptione.

*Explicatio dubij, An hypothecata sint bona viurarij, ob accepta per usuram.*

419. Dubitatur quintò, An ob accepta per usuram, bona omnia viurarij sint tacitè hypothecata pro illorum restitutione. Quod quidem non parum refert scire quia si sint hypothecata, ad quoscumque peruenierint, transeunt eam eiu- modi hypotheca; quæ est obligatio realis, seu sequens rem, ratione cuius illa potest officio Iudicis vendicari, apud quemcumque sit possessio. Si vero non sint hypothecata, non transeunt ad alios cum obligatione reali pro viuris solvendis: sed tantum cum obligatione personali, id est, qua viurarius est personaliter obligatus ad restituendum accepta per usuram. Quod cum facere debeat ex quibuscumque sint bonis, sit vt sicut persona est obligata, sint etiam ipsius bona: non quidem de se, sed tantum ex accidenti & consecutione quadam.

Tres autè sunt de re proposita sententia. Prima est authoris glossæ ad cap. Cum tu, & ad cap. Tua nos De viuris, & ad cap. Quamquam eodem titulo in 6. atque aliorum apud Couar. lib. 3. var. resolut. cap. 3. num. 6. omnia bona viurarij esse tacitè hypothecata pro viuris solvendis. Secunda est Medine in Cod. de acquisitis per usuram quest. 4. ad 4. principia e in fine: solas res emptas ex pecunia viuraria esse iure ipso hypothecatas, iuxta cap. Cum tu De viuris: vbi statuitur tales res esse vendendas, vt ex earum pretio soluantur mutuarij quidquid per usuram acceptum est ab eis.

420. Tertia est Canonistarum quos referunt Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 265. & Couar. loco citato qui etiam illam approbant; vt & Sotus in lib. 6. de iust. & iure quest. 1. art. 4. in solut. 3. argumenti & Caiet. in tomo 2. opusculi tract. 8. quest. 4. & Syluest. Vsuræ 6. quest. 5. Est inquam, non quidem ea viurarij bona quæ empta sunt ex pecunia viuraria, esse realiter hypothecata pro viuris solvendis. Ratio est: quia talis obligatio realis in bonis viurarij, non oritur ex interna rei natura, vt de se patet: neque oritur aliunde. Non quidem expressè: quia viuræ alioqui deberent viurario tradi sub ea specie ac conditione, vt bona ipsius pro illis restituendis hypothecarentur. Nec item tacitè: per legem aliquam hypothecantem realiter bona viurarij pro viuris restituendis: quod nusquam inuenitur iure statutum. Eterce si oppositum quod alia sententiæ habent verum esset; sequeretur quod

quantumvis viurarij ex suo patrimonio diuites essent; & quantumvis cum eis contractus celebrarentur bona fide; ac etiam quantumvis contractus essent onerosi, atque adeo quomodocumque bona ab illis acciperentur, ea manerent obligata pro viuris solvendis apud quemcumque existerent, ex illisque hæc solvendæ essent, si aliunde non soluerentur: id quod nimis durum videretur.

Neque obstat his cap. Cum tu de viuris. Nam in eo Pontifex non loquitur De possessionibus per viurariam pecuniam acquisitis, in tertium iam translatis: sed de taliter acquisitis adhuc manebus apud viurarium: quas in finem ibi notatum liberationem videlicet à peccato commissio per extortionem viuraram merito statuit vendendas esse pro restitutione viuræ: non quod sint tacitè hypothecata; sed quod quamdiu sunt apud viurarium, sint per ipsius obligationem personalem, obligata pro tali restitutione. Quod si istes, bona omnia ipsius viurarij obligata esse illa eadem ratione: Pontificem autem aliquid particulare statuere de emptis ex pecunia viuraria Respondetur Pontificem tantum voluisse, vt in executione restitutionis viuraram, inciperetur à venditione talium rerum: non quod essent ad hoc hypothecata; sed vt viurarius in eo puniretur in quo deliquerat, expendendo pecunias quas restituere debebat.

Ex hac autem sententia, quam præferimus cæteris, consequens est quod loco cit. docet Sotus, mutuarij quidem, quoad ea quæ perfolui: si eadem numero maneant, actionem habere realem, atque adeo posse illa sibi vindicare, ad cuiuscumque manus peruenierint: quia penes ipsam perseverat dominium illorum, iuxta antedicta in explicat. tertij dubij: sed quoad alia bona viurarij, habere actionem tantummodo personalem in ipsum viurarium qua compellatur restituere illud quod viuræ accepit. Aduertit tamen ratione personæ habere actionem in bona quoque ipsius; quamdiu nimirum apud ipsum perseverant. Quod addo quia illis alienatis, non datur actio in personam, *vt in illorum emptorem*, ad quam ea perueniunt: nisi per viurarii voluntatem perueniant ad heredes defuncti. Quo casu, quia hæres representat defunctum, in eum transeunt actiones huius personales, tam actiue, ad comparandum sibi quidquid ipsi defuncto erat debitum: quam passiuæ, ad soluendum loco defuncti quidquid ille debebat.

*Explicatio dubij, An viurarius possit validè sua distrabere.*

421. Dubitatur vltimò, An obstat antedicta quo minus viurarius possit validè sua distrabere: ita vt is qui aliquid ab ipso accepit, non teneatur acceptum restituere. De qua re agunt Gabriel in 4. distinct. 15. quest. 1. art. 3. dub. 16. Angelus verbo Restitutio 1. versu Viurarius num. 17. Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 266. Med. in Cód. De acquisitis per usuram quest. 4. ad 3. argumentum, dub. vlt. & Sotus in 6. De iust. & iure quest. 1. art. 4. ad 3. Pro solutione autem adferemus aliquot propositiones.

Prima est: Si illud quod quis ab viurario accepit, est ipsa res viurariè acquisita, eadem restituenda est mutuarij; etiam si ipsa sit usu consumptibilis: vt eadem pecunia numero quam viurarius habuit per viuras. Quæ propositio sic accipienda est, vt intelligatur, locum ei esse quantumcumque viurarius habeat sufficere, unde aliter satis faciatur quocumque titulo sit ab viurario ipso in alium translata: id est, siue per donationem, siue per depositum, siue per venditionem, &c. itemque siue mutuarij talem rem ab ipso recepit & euincat, siue non. Probat verò quia, *vt ante habitum est*, rei viurariæ dominium manet penes ipsum mutuarij; ita vt is qui ab viurario illam accipit non efficiatur dominus illius, sed teneatur illam restituere mutuarij; cui, *vt pote vero domino*, est debita.

Aduertit autem quod si accipiens sciebat rem esse alienam tanquam reus iniuste acceptionis, teneatur acceptam restituere in integrum: si verò id ignorabat tanquam excusatus à prædicto reatu, teneatur restituere tantummodo quantum inde factus est locupletior: iuxta ea quæ communiter docentur de obligatione ad restitutionem ratione rei iniuste acceptæ, tradita in præced. cap. quarto.

422.

Secunda propositio est. Si illud quod ab usurario accipitur non sit res usuraria: sed alia, cuius ipse habet dominium, neque per illius alienationem manet impotens ad restituendum: quia scilicet ei supersunt bona sufficientia quibus restituitur usurarie accepta: tunc accipiens ab eo, siue accipiat titulo oneroso, id est, cum onere dandi aut faciendi aliquid; siue tit. lucrativo, id est, sine vilo predicto onere: non solum accipit sibi dominium eius quod accipit: licet usurarius siat postea impotens ad restituendum, iuras, aut etiam quavis alia debita: sed etiam ad nullam restitutionem tenetur creditoribus. Huius ratio aperta est: quia si quid possit in contrarium adferri, quod difficultatem in ea re faciat, est maxime: quod usurarius bona videantur pro satisfactione usurarum tacite hypothecata: atque adeo transire cum eo onere ad quemcumque peruenerint. At nulla datur talis hypotheca, vt patet ex preced. dubij explanatione.

423.

Tertia propositio. Si is qui aliquid accipit ab usurario, nullo modo conscius fuit alienationem illius esse in fraudem creditorum: seu per quam usurarius ipse, ad satisfaciendum eis, reddatur impotens; quocumque titulo, ille acceperit, acquirit accepti dominium. Hæc ex eo probatur, quod sic acceptum, vt supponimus, fuerit usurarij dantis illud, nullo affectum onere reali, iuxta explanationem antecedentis dubij. Inde enim sequitur, quod si titulus quo est alienatum, sufficiens de se fuit ad dominium transferendum in accipientem vt censetur donatio, venditio, &c. Sequitur inquam, vt ipse accipiens comparet sibi accepti dominium, vt pote in se translatus ab eo qui illud habuit plene liberum ab onere reali, etiam respectu suorum creditorum.

Quarta propositio. Cum quis bona fide aliquid titulo gratuito accipit ab usurario sciente alienationem eam credere in fraudem creditorum; tunc in vtroque foro tenetur restituere acceptum, si adhuc habeat illud: alioqui vero id in quo locupletior inde factus est, si a creditoribus petatur intra annum a die scientie alienationis facte in ipsorum fraudem. Hæc ex eo probatur, quod iura in tali casu concedant actionem ad euincendum vendicandumque sibi taliter acceptum: lege i. & lege 6 §. 8. ac lege 10. ff. Quæ in fraudem creditorum. Dicitur est autem in propositione, sit gratuito, quoniam is qui titulo oneroso in predicto casu aliquid bona fide acceperit ab usurario: vt v. g. in iustum pretium rei, quam ei vendidit: vel in iustam mercedem operarum pro eo prestitarum: vel in iustum stipendium famularum ei exhibitum: non tenetur ad restitutionem: quia usurarius tales habet pro creditoribus, sicut & eos a quibus usuras exegit: & inter creditores vnus non est peior alio, quamdiu nullam ex contractu vel pacto habet hypothecam expressam vel tacitam, vel iuris priuilegium iuxta tradita in preced. c. 17. regula 5.

Quinta propositio est. Si res non petatur, vel petatur post annum probabile est, quod is qui bona fide ab usurario accipit aliquid vnde ipse factus est impotens ad soluendum creditoribus, non teneatur ad restitutionem. Huius ratio est, quod iura nihil circa hoc disponant, nisi in casu precedentis propositionis. Seclusa autem lege positua, nulla videtur in ea re dari obligatio restituendi: siquidem ea nasceretur vel ex iniustitia acceptionis, vel ex recepta. At in tali casu acceptio non fuit iniusta ex parte accipientis, cum illum ignorantia excusauerit a peccato. Res vero accepta non erat creditoribus hypothecata realiter iuxta antedicta in explanatione quinti dubij.

424.

Sexta propositio. Cum tam is qui accipit, quam usurarius qui dat, conscij sunt alienationem in fraudem creditorum fieri: quidquid sit de foro exteriori, siue intra sine post annum a die notitie alienationis, res a creditoribus petatur, accipiens tenetur in conscientia restituere acceptum aut illius valorem, si non existat, aut penes se iam non sit. Huius contradicit quidem Molina De iust. & iure tractat. 2. disputat. 32 §. sed approbata a Couar. li. 3. Variarum Resolut. cap. 3. numer. 6. in fine. Bonam habet rationem in praxi: nempe quod is qui in fraudem creditorum, suam alienat sciens, peccet contra iustitiam. Ergo & is qui illud accipit sciens: cooperatur enim executioni, & consummationi iniustitie, quæ tunc contra creditores committitur alienando. Nam eo ipso quod accipit rem, cuius alienatione is a quo datur, efficitur impotens ad soluendum creditoribus: iniustitia predicta con-

summatur. Si dicas id non esse cooperari malitie, sed eam vt pro suo iure, seruendo propriis commodis. Respondetur, nullum tale ius haberi in proposito casu cum ex regula 48. iuris in sexto, nemo locupletari debeat cum alterius iniuria vel laetura.

Difficultates quarum explanatione declaratur quid tenendum sit de accipientibus ab is qui habent acquisita per usuram.

425.

Prima est. An vendens aliquid usurario, teneatur ad restitutionem eorum quæ acceperit in pretium, sciens ipsum inde minus potentem reddi ad soluendum creditoribus. Cui satisfieri potest dicendo teneri, quantum usurarius inde factus est minus potens, iuxta preced. dubij explanationem: excepto tamen casu notato a Syl. Vsurar. 8. q. 9. in quo res quæ venditur esset usurario simpliciter necessaria ad vitæ suæ sustentationem: quia obligatio soluendi debitum, cedit tali graui necessitati, iuxta ea quæ disputata sunt in precedent. cap. 19.

Secunda difficultas est. Verum famuli, qui usurario inferunt, quem impotentem sciunt ad soluendum, teneantur restituere quæ ab ipso acceperint. Cui satisfaciendum est distinctione. Si enim sint famuli qui suis ministeris tantum villitatis adferunt bonis usurarii: vt colendo agros, reficiendo domum, verum curam habendo, quantum ipse infamit in illorum victu, vestitu, ac stipendiis: tunc non tenentur ad restitutionem: quia usurarius propter illos non est redditus impotens ad soluenda debita. Si vero non sint famuli predicto modo vitales, vt illi qui ad pompam solum inferunt usurario; immo ad quodcumque ex quo vititas usurario non resultat, quale est ipsum comitari, aut ipsi assistere in mensa: teneantur ad restitutionem tenentur quatenus usurarius ipse, inde fit ad soluendum impotentior. Ita docent Syl. Vsurar. 8. q. 6. Nauar. in Enchir. cap. 17. numero 270. Talium enim eadem est ratio, ac illorum qui usurariis vendunt ea quæ non ad vitæ necessitatem sed ad voluptatem spectant, vt rectè ibidem cit. Syluester.

426.

Placet nihilominus quod habet Molina in sequenti disputat. 30. sub finem: quando famuli bona fide capere conseruire ære alieno ita grauatis vt non sint soluendo; ipsos nec obligandos esse ad restitutionem acceptorum in suam sustentationem & stipendium moderatum: nec cogendos deferere talem commoditatem sibi necessariam: nam ad vitandum damnum secuturum creditoribus; id nihil iuuat, præsertim cum non desent qui de ferentibus succederent cum simili damno.

Tertia difficultas est. Quid dicendum sit de vxore usurarij, quæ nouit ipsum esse impotentem ad soluendum. De qua Syluester quidem in preced. quæst. 2. ait, quod teneatur restituere quidquid consumit. Sed melius Nauar. in preced. num. 268. ait quod cum maritus non minus sit vxori debitor sustentationis competentis iuxta qualitatem personæ ipsius, & quantitatem dotis eidem marito solutæ: quam sit cæteris creditoribus, ea ad nullam restitutionem tenebitur: dummodo de illis solum consumat quorum dominium maritus habet, nec plus consumat quam a marito ei debetur. Ratio est, quia vxor quæ competente sustentationem accipit a marito, id facit ad instar creditoris; cui debitum soluitur.

Aduerte autem, quod si vxor aliquid, cuius dominium ad maritum non pertineret, sciens consumat; ad illius restitutionem teneatur proprio domino, quando maritus ipse non restituere: quoniam ea ratione cooperaretur ad iniustam vsurpationem rei alienæ. Aduerte etiam quod si vxor sua opera & industria ita lucratur vt augeat mariti bona, possit tantumdem accipere, & retinere de mariti bonis, ac si esset soluendo suis creditoribus. Ratio est, quia maritus non redditur inde impotentior ad soluendum creditoribus: sicut nec cum vestitus, victus, ac iustum stipendium datur famulo, iuxta quantitatem vititatis quam adfert bonis eiusdem usurarij: vt antè dictum est.

Quarta difficultas est. Quid sit sciendum de filiis qui a parentibus usurariis aliquid accipiunt scientes eos propterea reddi impotentiores ad soluendum creditoribus. Huius solutio est: quod si filij suo labore & industria, tantum acqui-

rant

rant bonis paternis, quantum consumunt: ad nullam restitutionem teneantur. Si verò non acquirant: iuxta Syluestrum quidem loco cit. quæst. 3. ad restitutionem teneantur. Sed iuxta Nauarr. in cir. cap. 17. num. 269. sit distinguendum: vt si proprio labore, aut inseruendo aliis possint seipos sustentare, tunc teneantur ad consumptorum restitutionem: quia pater non tenebatur eos sustentare. Si verò non nisi illo modo, hoc est, de bonis paternis aliquid accipiendo, sese sustentare poterint, non teneantur ad restitutionem, quia pater tenebatur illos sustentare: & ideo, sicut de vxore diximus, computandi sunt suo modo in Creditorum numero. Si tamen aliquid amplius acceperint quam esset ipsis necessarium in sustentationem à patre debitam, teneantur illud restituere.

427. Quinta difficultas est. Quid sentiendum sit de genero accipiente dotem à focero vsurario. Cui satisfaciendum est distinctione. Si enim focer possit aliunde vsuras restituere, dos ab eo accipi potest, adeoque retineri; quantumuis ipse postea pauper fiat nec sit soluendo; iuxta ante tradita nu. 422. & 423.

Si autem non possit focer aliunde vsuras restituere, non potest dos ab eo accipi nec retineri. Quod Nauarr. in Enchir. c. 17. nu. 271. probat: quia caperetur ab eo qui nec donare nec dotare potest sine peccato, comisitente in iniuria per id illara creditoribus. Et monet id ipsum procedere, non solum quando ipsa res per vsuram acquisita datur in dotem, & quando dos est extra modum: sed etiam quando in pecuniâ, aut in aliis reb. quarum dominium vsurarius habet, datur dos moderata. De obligatione tale quid restituendi, videre potest eundem ibidem. Et addere generum si bona fide dotem acceperit à focero qui non est soluendo creditoribus suis, posse ex ea tantum retinere quantum ei necessarium est ad alendam vxorem: quæ in numero creditorum patris poni potest eodem modo, quo de filiis dictum est.

428. Sexta difficultas est. Quid sit sentiendum de eo qui mutuo dedit vsurario, cum sciret, aut probabiliter præsumeret, quod is mutuum pereret ad illud expendendum inutiliter in ludis, comestationibus, & aliis vanis, & inutilibus reb. Cui satisfis fit dicendo talem mutuatorem non posse recipere suum mutuum, si intelligat vsurariû à quo recipit, inde reddi impotentem ad solutionem faciendam creditoribus à quibus vsuras extorsit. Ita vult Angelus Restitutor. i. verbo vsurarius num. 22. & citatis Gabriele ac Syluestro, Nauarrus in Enchir. cap. 17. numero 264. Secus verò sentiendum erit mutuum inquam ab vsurario restitutum posse reuocari: si vel ei fuerat datum pro subleuanda extrema aut graui necessitate ipsius, vel si alia bona habeat ex quibus vsuras restituat. Nam hæc duæ conditiones faciunt, vt ab vsurario iuste debitum recipi possit, non obstante obligatione quam ipse habet aliis restituendi acquisita per vsuram prout satis ex antedictis intelligitur.

## CAPVT XXVII.

## De obligatione restituendi acquisita per simoniam.

## SVMMARIVM.

- 429 Simonia quedam mentalis, quedam conuentionalis, & quedam realis: quidque earum vnaquæque sit.
- 430 An acquisitum per simoniam mentalem sit restitutioni obnoxium sententia varia.
- 431 Pars negans tenenda, & solutio rationum contrariarum.
- 432 Acceptum per simoniam non est iure naturali restituendum, sicut acceptum per vsuram. exceptis duobus casibus.
- 433 Datum temporale non accepto spiritali pro quo datum est, restitui debet.
- 434 Collatio spiritalis pro temporali nondum recepto, non est iure inuvalida: in foro tamen externo meriti inuvalidatur.
- 435 Acquisitum per simoniam quamcumque realem restituendum est, iure humano non item naturali.
- 436 Restituendi pariter sunt fructus eiusdem.
- 437 Spiritalis simoniæ acceptum debet resignari in manibus Superioris.
- 438 Cui restitui debeat temporale acceptum per simoniam in ordine,

vel benefisdo.

439 Cui item acceptum per alias simonias reales.

429. **V**ariæ traduntur simoniæ diuisiones, inter quas præcipua est, quæ huic loco seruit in mentalem, conuentionalem & realem: cuius meminerunt Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 162. & Sotus lib. 9. de iustitia & iure quæstio. 8. articulo 1. Mentalis dicitur quando aliquid temporale datur vel accipitur præ spiritali, sine pacto quidem externo, neque expresso, neque tacito: cum animo tamen dandi vel accipiendi temporale pro spiritali; vt cum Prælati alicui conferret beneficium Ecclesiasticum, sine conuentione quidem vlla; cum intentione tamen, & animo accipiendi ab eo pro ipsa beneficii collatione, temporale aliquid emolumentum. Id quod ex Caiet. 2. 2. quæst. 100. art. sexto ad primam objectionem, tunc contingit cum actus dandi & accipiendi ex iniquo illo animo proueniens, secundum suum modum & formam, extrinsecus habet rationem donationis gratuitæ, nonverò emptionis, & venditionis.

Atque iuxta eosdem authores, duplex est mentalis simonia: quedam purè mentalis, quando de facto nihil datur, vel accipitur: & quedam mixta, quando de facto aliquid temporale pro spiritali accipitur vel datur; sed sine conuentione. Vnde intelligitur simoniam mentalem tantum dari per negotiationem declarationis iniqui animi; neque eam distinguat conuentionalis & realis sicut in aliis materiis peccatum mentis, communiter distinguitur à peccato operis seu executionis: quandoquidem in ea quoque datur executio externa.

Conuentionalis dicitur, quando temporale pro spiritali dari vel accipi conuentum est per pactum siue expressum siue etiam tacitum; quod nondum est executioni mandatum. Vnde triplex constituitur, vna quando tantum vel conuentio, & promissio: sed nondum est aliquid datum vel acceptum. Altera quando iam est datum vel acceptum spiritalis, nondum autem temporale: tertia quando contra iam datum vel acceptum est temporale, non spiritalis. Dixi (siue etiam tacitum) quia vt habet Caietan. in verbo Simonia sub initium cap. 2. nihil refert in hac re; vtum partes disceptando, an primo verbo conueniunt, aut sciendum mutuum affectum, detur vel accipiatur pretium. Exempla istiusmodi pacti taciti petere potes ex Nauarro in Enchir. cap. 23. numero 103.

Denique realis dicitur, quando vltra conuentionem aut pactum siue expressum siue tacitum; tam spiritalis quam temporale datum est & acceptum: vt fit quando ex conuentione aliqua, siue expressa siue tacita, beneficium Ecclesiasticum datur vel accipitur, datâ similiter vel acceptâ certâ pecuniæ summâ.

Quod aduerte ex Nauarr. in sequ. n. 105. procedere quantumuis spiritalis, & temporale, siue vtrumque siue alterutrum datum sit & acceptum quoad aliquam tantum sui partem; & non quoad totum. Item ex Caiet. in verbo Simonia c. 2. quod si quis accipiat spiritalis, assignato statim pretio absque alia conuentione, simoniam realem committit: quia tunc contingit tacita, & implicita conuentio.

Atque pro triplici simoniæ genere, de præposita obligatione quæstio tripartita occurrit tractanda. Cuius primâ parte queritur: vtum acceptum per simoniam mentalem sit in conscientia restituendum: v.g. confert quis alteri beneficium Ecclesiasticum, ob commodum tempore receptum ab eo: sine villo tamen pacto, vel conuentione aut promissione tacita vel expressa: sed sola intentione simoniaca; dandi scilicet vel accipiendi temporale pro spiritali. An is teneatur in conscientia temporale sic acceptum restituere, & alter beneficium sic ei collatum resignare.

De restitutione accepti per simoniam mentalem.

## SECTIO I.

436. **D**e qua re duæ sunt sententiæ præcipuæ. Prior Adriani quodlibet 9. quæst. 7. Med. in Cod. De reb. per vsuram acquisitis, quæst. 4. dubio circa 2. argumentum versus iam ad rationes. Item Soti in lib. 9. De iust. & iure qu. 8. art. 1. ad 6. & aliquot aliorum quorum meminit Petrus à Nauarr. in